SVB REVERENDO PATRE ET DO MINO IOANNE ECKIO THEOLOGIAE DOCTORE ATQVE INGOLSTA

dienſis gymnaſii iam Rectore magnifico, Proconcellarioque digniſimo, Ioannes Mentzingerus artium magiſter ſubſcriptas de ſacramento confirmationis propoſitiones Ingolſtadii diſputabit

QVAESTIO ET TOTIVS DISPVTATIONIS SCOPVS.

An { Confirmatio non ritus quidam ſed uerum legis Euangelicę ſacramentum, reliquis non inferius, atque adeo fœdus quoddam & ſymbolum gratię diuinæ, ab ipſo Chriſto inſtitutum, neque reiterandum.
Sit Chriſtiano homini neceſſarium, & ad uitam ęternam conducibile?

Concluſio. Clemens & Chryſoſto.
1 Confirmatio, quam proximi a Chriſto doctores & præceptores eccleſiæ τελέτηρ dixere, ipſique pręcipiente domino docuerunt & exercuerunt, ſacramentum uerum eſt, ſymbolum quoddam & pactum gratiæ diuinæ, quo firmiter deo conſtringimur.

Sapien. 11.
2 Et errant ſane quotquot Confirmationem, qua quondam uiſibiliter Spiritus ſancti gratia dabatur credentibus, negant eſſe ſacramētum, ritum tantum uocantes externum, a cæteris diſcernendum, dicique de iis poteſt illud ſapientis, quia ignorant ſacramenta Dei.

3 Perinde ridiculum eſt, quod ſomniant, qui contumeliam faciunt ſpiritui ſancto, ſacramenta niſi expreſſo dei mandato in ſcripturis probata nulla eſſe, dum nec illorum uetuſtatem, neque ſanctam attendunt eccleſiæ catholicę authoritatem.

Contra Thomam.
4 Ac proinde abſurdū uideri nemini debet, etiā hoc ſacramentum ut plæraque alia non uno tm̄ loco in ueteri teſtamēto eſſe pręfiguratum.

5 Non eſt autem hoc Confirmationis ſacramentum ab apoſtolis demum (tantum abeſt ut ab aliquo concilio) ſed ab ipſo Chriſto primitus inſtitutum, tandemque per apoſtolos promulgatum, & per concilia uſurpari imperatum.

6 Et quāmuis de tempore etiā hic doctores uariant, probabilior tamē eorum uidetur ſententia, qui inſtitutum illud a Chriſto ante paſſionem ſuam adfirmant, certe quod ex Ioan. 20 & Act. 2 quidā adducunt, non ſatis perſuadet.

7 Imo, quū cōſtans doctorꝫ ſentētia ſit apl̄os iam tū in ipſa cæna dn̄i fuiſſe ſacerdotes, qs credat eoſdē in die pētecoſtes tādē eſſe cōfirmatos?

8 Materia porro huius ſacramenti debita, eſt Chriſma ex oleo oliuæ & balſamo compoſitum ac ſanctificatum, adeo ut ne ſummus quidem pontifex ſine hoc ſacramentum illud conficeret:

9 Forma tamen illa forte probabile eſt nec Chriſtum nec apoſtolos eſſe uſos qua nunc in eccleſia utimur ſ. Conſignote ſigno crucis & confirmote chriſmate &c.

10 Atqui hic quoque ut alias euidenter ſe ingerit crux & paſſio Chriſti, quia niſi cum hoc ſigno oleum illud Chriſmate quo inunguntur fideles adhibeatur, non ſatis rite perficitur.

Auguſtinus.
11 Vſque adeo gloria crucis hoc quoque nobilitat ſacramentum, ut qui ſupplicium conſyderat & pęnā in cruce, conſolationem rurſus ſuſcipiat ex intima ſpiritus ſancti unctione.

Chryſoſto. Pſal. 67.
12 Idem autem ille qui baptizat, qui peccata remittit, iniquitates hominū propter ſe delens, etiam in hoc ſacramento, dexterā quā porrigit homo gubernat, ſicque quod in Baptiſmo operari cæpit, hic uelut perfecta pactione confirmat.

Euſebius. Acto. 8. Galath. 2
13 Deinde idoneus huius ſacramenti miniſter ſolus eſt, epiſcopus, neq; confirmare attentans ſimplex ſacerdos quicq̄ facit, Vnde patet Philippum qui in Samaria credentes baptizauit, nec apoſtolum fuiſſe neque epiſcopum.

14 Et quicquid eſt quod de facto Gregorii papæ adducitur, qui quomodo peccare nequiuerit, quum etiam S. Petrus uirtute iam tum ex alto confirmatus peccauit, utique enim ſacerdotes iſti ſi ſimplices erant non Confirmabant.

15 Sacramentum etiam hoc quia characterem imprimit, eumque alium a baptiſmali, nullo modo reiterari debet.
Reiterantem tamen ſiue id attentantem non arbitramur fore irregularē, quicquid interim Richardus opinetur.

Melchiades
16 Manet aūt ſua & baptiſmo & confirmationi dignitas, atque huic quidē eo maior quo miniſter eminentior eſt. Et ſic quāuis ſufficiant regenerationis officia, uicturis tn̄ neceſſaria ſunt confirmationis auxilia, Illa renaſcimur ad uitam, hac in uita corroboramur ad pugnam.

Clemens, Et Concil. Aurelian.
17 Quilibet igitur regeneratus per aquam ſine mora feſtinet cōſignari ab epiſcopo & ſeptiformem ſpiritus ſancti gratiam percipere, quia aliter nec perfectus eſſe Chriſtianus neque ſedē habere poterit inter perfectos, ſi nō neceſſitate ſed incuria & uolūtate ſine illo remāſerit.

18 Et ſic quidem hoc quoque ſacramentum neceſſitatis alicuius eſſe uidetur, non tamen ſimpliciter, quū abſque illo etiam conſiſteret ſalus, ſed quia obligantur fideles or[illegible]es ad nō contēnendum ſuſceptionē illius pro tempore & loco.

19 Vbi incuſanda uenit negligentia tum epiſcoporum tum parentum, quibus preter uitium iſtud imputatur etiam in paruulis defectus gratiæ, qua illi decedentes non confirmati per eos priuantur & deſtituuntur.

20 Inſignis ſiquidem tanti ſacramenti uirtus eſt & efficacia, Quo fideles militiæ Chriſtianæ adſcripti confirmantur per ſpiritum S. ad intrepidam eius quam ſuſceperunt fidei confeſſionem, roborantur etiam contra debilitatem fomitis, atque in uniuerſum ad declinanda tela ignea nequiſſimi hoſtis armantur.
Paruuli inſuper Confirmati maiorem fælicitatis æternę gloriam adſequuntur non confirmatis, quandoquidem in illo etiam decimo choro alii aliis ſunt beatiores.

SOLI DEO GLORIA

57
[Ca 1527]